

est, eoque delectetur, quod, ut Cicero loquitur, sub aurum mensuram aliquam cadit. Cui quidem uoluntatis inductioni ut in eloquendo etiam subseruat orator, non periodum solum, sed numerum etiam, quem uocamus, hoc est, aptam pedum temporumque uarietatem, adhibebit

## LXXXV

**H**abet iam in promptu orator instrumenta, quibus opus est ad persuadendum. Inuenit acute, dispositit apte, rem omnem uerbis expressit, et iis tam elegantibus, quam ad suauitatem exquisitis. At oratorem informamus hic, non mutum, sed loquentem, non, qui uelit legi tantum, et intelligi, sed audiri etiam et spectari. Igitur superest nihil, nisi ut, his praeftis, prodeat iam, et, quae cogitauit, modo ad persuadendum idoneo, uoce gestuque, declaret

## LXXXVI

**A**uditur Orator. Hinc auribus seruiri debet, quod fit per uocem. Sed spectatur etiam. Hinc oculis quoque satisfaciendum est, quod fit per gestum

## LXXXVII

**V**ox et gestus in oratione Actio dicuntur, seu eloquentia externa, itemque corporis. Cuius cum permagna sit ad persuadendum uis, apte ut tractetur eadem et conuenienter, curandum est

## LXXXVIII

**E**st autem haec animi corporisque nostri tanta et tam mirabilis consensio, nihil ut in illo acrius cogitetur, quin sit una in huius subtilissimis neruis motus quidam, cogitationi, suo tamen modo, respondens. Quo fieri etiam consueuit, ut corpus,